

Γεώργιος Ν. Πουρνάρας.

ΜΑΡΚΟΥ ΤΥΛΛΙΟΥ ΚΙΚΕΡΩΝΟΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ

ΑΙ ΠΡΟΣ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΝ ΕΝ ΤΟΙΣ ΓΥΜΝΑΣΙΟΙΣ
ΥΠΟ ΤΟΥ ΥΠΟΥΡΓΕΙΟΥ ΩΡΙΣΜΕΝΑΙ

ΔΙΑ ΤΗΝ Ε' ΤΑΞΙΝ ΤΩΝ ΓΥΜΝΑΣΙΩΝ

ΥΠΟ

ΘΕΟΦΑΝΟΥΣ Α. ΚΑΚΡΙΔΗ

ΕΓΚΕΚΡΙΜΕΝΟΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΝΟΜΟΝ 3438

ΕΚΔΟΣΙΣ ΔΕΥΤΕΡΑ

ΑΝΤΙΤΥΠΑ 1500

Τιμᾶται μετὰ τοῦ βιβλιοσήμου καὶ φόρου δρ. 6,40

Βιβλιοσημὸν καὶ Φόρος Ἀναγκ. Δανείου ἀξίας δρ. 2,20

Ἀριθμὸς ἐγκριτικῆς ἀποφάσεως 37434

48409

Ἀριθμὸς ἀδείας κυκλοφορίας 29-9-33



ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ

ΕΚΔΟΤΑΙ: ΙΩΑΝΝΗΣ Δ. ΚΟΛΛΑΡΟΣ & ΣΙΑ

ΒΙΒΛΙΟΠΩΛΕΙΟΝ ΤΗΣ "ΕΣΤΙΑΣ,"

Ὁδὸς Σταδίου, 46^α

1933

ΙΣΤ
ΛΑΤ
1933

ΥΠΟΥΡΓΕΙΟ ΠΑΙΔΕΙΑΣ ΚΑΙ ΘΡΗΣΚΕΥΜΑΤΩΝ
ΓΕΩΡΓΙΟΣ ΝΙΜ.

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ
ΠΟΥΡΝΑΡΑΣ.

ΔΙΑ ΤΗΣ ΕΤΑΙΡΙΑΣ ΤΙΜΟΤΕΚΝΟΝ

ΕΤΕΡΩΤΗΤΑΙ

ΠΡΟΪΚΑΝΟΥΣ Α. ΚΑΚΡΙΑΝ

ΕΤΑΚΡΥΒΜΕΝΟΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΝΟΜΟΝ

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ
ΚΑΙ ΤΙΜΟΤΕΚΝΟΝ

ΕΚΔΟΣΙΣ ΑΥΤΗΤΕΡΑ

ΕΤΑΚΡΥΒΜΕΝΟΝ



ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ

ΕΚΔΟΣΤΑΙ ΤΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΚΑΙ ΤΙΜΟΤΕΚΝΟΝ

ΕΤΑΚΡΥΒΜΕΝΟΝ ΤΟ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ

ΕΤΑΚΡΥΒΜΕΝΟΝ

1911

ΜΑΡΚΟΥ ΤΥΛΛΙΟΥ ΚΙΚΕΡΩΝΟΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ

ΑΙ ΠΡΟΣ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΝ ΕΝ ΤΟΙΣ ΓΥΜΝΑΣΙΟΙΣ ΥΠΟ ΤΟΥ ΥΠΟΥΡΓΕΙΟΥ ΩΡΙΣΜΕΝΑΙ
ΔΙΑ ΤΗΝ Ε΄ ΤΑΞΙΝ ΤΩΝ ΓΥΜΝΑΣΙΩΝ

ΕΠΙΜΕΛΕΙΑ,

ΘΕΟΦΑΝΟΥΣ Α. ΚΑΚΡΙΔΗ

ΕΓΚΕΚΡΙΜΕΝΟΝ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΝΟΜΟΝ 3438

Αριθ. έγκρ. άποφ. $\frac{37434}{28 \text{ 'Ιουλ. } 1930}$

ΕΚΔΟΣΙΣ ΔΕΥΤΕΡΑ
ΑΝΤΙΤΥΠΑ 1500



ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ

ΕΚΔΟΤΑΙ: ΙΩΑΝΝΗΣ Δ. ΚΟΛΛΑΡΟΣ & ΣΙΑ
ΒΙΒΛΙΟΠΩΛΕΙΟΝ ΤΗΣ "ΕΣΤΙΑΣ",
Οδός Σταδίου, 46^α
1933



Τὰ γνήσια ἀντίτυπα φέρουν τὴν σφραγίδα τοῦ βιβλιοπωλείου
τῆς «Ἑστίας».



Τύποις Ξ. Σεργιάδου, Γεωργίου Σταύρου 10

M. TULLI CICERONIS EPISTULAE SELECTAE

1. (ad fam. II 4)

Scr. Romae a. U. 701 (53 a. Chr.)

CICERO S. D. C. CURIONI

Epistularum genera multa esse non ignoras, sed unum illud 1
certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores face-
remus absentis, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ip-
sorum interesset. Huius generis litteras a me profecto non ex-
spectas; tuarum enim rerum domesticos habes et scriptores et
auntios, in meis autem rebus nihil est sane novi Reliqua sunt
epistularum genera duo, quae me magnopere delectant, unum
familiaris et iocosum, alterum severum et grave. Utrum me minus
deceat uti, non intellego. Jocerne tecum per litteras? Civem
mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An
gravius aliquid scribam? Quid est, quod possit graviter a Cice-
rone scribi ad Curionem nisi de re publica? Atqui in hoc genere
haec mea causa est, ut *neque ea, quae sentio, audeam*, neque 2
ea, quae non sentio, velim scribere. Quam ob rem, quoniam
mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clau-
sula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor.
Est enim tibi gravis adversaria constituta et parata incredibilis
quaedam expectatio; quam tu una re facillime vinces, si hoc
statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus ortibus eae
laudes comparantur, in iis esse laborandum. In hanc sententiam
scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confi-
derem; et hoc, quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa,
sed testificandi amoris mei.

2. (ad fam. II 5)

Scr. Romae a. 701 (53)

CICERO S. D. C. CURIONI

- 1 Haec negotia quo modo se habeant, ne epistula quidem narrare audeo. Tibi, etsi, ubicumque es, ut scripsi ad te ante, in eadem es navi, tamen, quod abes, gratulor, vel quia non vides ea quae nos, vel quod excelso et inlustri loco sita est laus tua in plurimorum et sociorum et civium conspectu, quae ad nos nec obscuro nec vario sermone, sed et clarissima et una
- 2 omnium voce perfertur. Unum illud nescio, gratulerne tibi an timeam, quod mirabilis est exspectatio reditus tui, non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat, sed mercurule ne, cum veneris, non habeas iam, quod cures; ita sunt omnia debilitata et iam prope extincta. Sed haec ipsa nescio rectene sint litteris commissa; quare cetera cognosces ex aliis. Tu tamen, sive habes aliquam spem de re publica sive desperas, ea para, meditare, cogita, quae esse in eo civi ac viro debent, qui sit rem publicam adflictam et oppressam miseris temporibus ac perditis moribus in veterem dignitatem et libertatem vindicaturus.

3. (ad fam. II 6)

Scr. Romae a. 701 (53)

M. CICERO S. D. C. CURIONI

- 1 Nondum erat auditum te ad Italiam adventare, cum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi. Sed tamen, cum adpropinquare tuus adventus putaretur, et te iam ex Asia Romam versus profectum esse constaret, magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis cito mitteremus, cum has quam primum ad te perferri litteras magnopere vellemus. Ego, si mea in te essent officia solum, Curio, tanta, quanta magis a te ipsa praedicari quam a me ponderari solent, verecundius a te, si quae magna res mihi petenda esset, contenderem; grave est enim homini pudenti petere aliquid

magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id, quod petat, exigere magis quam rogare et in mercedis potius quam beneficii loco numerare videatur. Sed, quia tua in me vel nota 2 omnibus vel ipsa novitate meorum temporum clarissima et maxima beneficia exstiterunt, estque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere, non dubitavi id a te per litteras petere, quod mihi omnium esset maximum maximeque necessarium. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia non possem, cum praesertim confiderem nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere animus meus in accipiendo vel in remunerando cumulare atque illustrare posset.

Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, 3 cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi statuique in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaerere; neque vero cuiquam salutem ac fortunas, suas tantae curae fuisse umquam puto, quantae mihi sit honos eius, in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adiumento esse, si volueris posse intellego, ut nihil sit praeterea nobis requirendum. Habemus haec omnia, bonorum studium conciliatum ex tribunatu propter nostram, ut spero te intellegere, causam, vulgi ac multitudinis propter magnificentiam munerum liberalitatemque naturae, iuventutis et gratiosorum in sufragiis studia propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam, nostam suffragationem, si minus potentem, at probatam tamen et iustam et debitam et propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis et 4 auctor opus est et eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam et quasi gubernator. Qui si ex omnibus unus optandus esse, quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quam ob rem, si me memorem, si gratum, si bonum virum vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes, si dignum denique tuis beneficiis iudicas, hoc a te peto, ut subvenias huic meae sollicitudini et huic meae laudi vel, ut verius dicam, prope saluti tuum studium dices. De ipso T.

Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, gravitatis, constantiae benevolentiaeque erga te, si complecti hominem volueras habiturum esse neminem; mihi vero tantum decoris tantum dignitatis adiunxeris, et eundem te facile adgnoscam
 5 fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego ni te videre scirem, cum at de haec scriberem, quantum officii sustinerem, quanto opere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem; nunc tibi omnem rem atque causam meque totum commendo atque trado. Unum hoc sic habeto, si a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi quam ipsi Miloni debiturum; non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua praecipue sum ab illo adiutus, quam pietas erit in referenda gratia iucunda; eam autem unius tuo studio me adsequi posse confido.

4. (ad fam. IV 4)

Scr. Romae ex. m. Sept. aut in Oct. a. 708 (46)

M. CICERO S. D. SER. SULPICIO

- 1 Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur saepius ad me litteras uno exemplo dedisses, sed accipio ex ea parte, quatenus aut neglegentia aut improbitate eorum, qui epistulas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur; illam partem excusationis, qua te scribis «orationis paupertate» (sic enim appellas) isdem verbis epistulas saepius mittere, nec nosco nec probo, et ego ipse, quem tu per iocum (sic enim accipio) «divitias orationis» habere dicis, me non esse verborum admodum inopem agnosco (εἰρωνεύεσθαι enim non necesse est), sed tamen idem (nec hoc εἰρωνεύόμενος) facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiae.
- 2 Consilium tuum, quo te usum scribis hoc Achaicum negotium non recusavisse, cum semper probavissem, tum multo

magis probavi lectis tuis proximis litteris ; omnes enim causae, quas commemoras iustissimae sunt tuaeque et auctoritatae et prudentia dignissimae. Quod aliter cecidisse rem existimas, atque opinatus sis, id tibi nullo modo adsentior ; sed, quia tanta perturbatio et confusio est rerum, ita percussa et prostrata foedissimo bello incut omnia, ut is cuique locus, ubi ipse sit, minime incundus sit et sibi quisque misserrimus esse videatur, propterea et tui consilii paenitet te, et nos, qui domi sumus, tibi beati videmur ; at contra nobis non tu quidem vacuus molestiis, sed prae nobis beatus. Atque hoc ipso melior est tua quam nostra condicio, quod tu, quid doleat, scribere audes, nos ne id quidem tuto possumus, nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriae, quae civilibus bellis semper est insolens.

Uno te vicimus, quod de Marcelli, collegae tui, salute 3 paulo ante quam tu cognovimus, etiam mehercule quod, quem ad modum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes, post has miseras, id est postquam armis disceptari coeptum sit de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam ei ipse Caesar accusata «acerbitate» Marcelli (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et aequitate tua et prudentia repente praeter spem dixit se senatui roganti de Marcello ne omissis quidem causa negaturum. Fecerat autem hoc senatus, ut, cum a L. Pisone mentio esset facta de M. Marcello et C. Marcullus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere ; ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis rei publicae. Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent 4 praeter Volcacium (is enim, si eo loco esset, negavit, se facturum fuisse), ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium ; itaque pluribus verbis egi Caesari gratias, meque metuo ne etiam, in ceteris rebus honesto otio privarim, quod erat unum solacium in malis. Sed

tamen, quoniam effugi eius offensionem, qui fortasse arbitretur me hanc rem publicam non putare, si perpetuo tacerem, modice hoc faciam aut etiam intra modum, ut et illius voluntati et meis studiis serviam. Nam, etsi a prima aetate me omnis ars et doctrina liberalis et maxime philosophia delectavit, tamen hoc studium cotidie ingravescit, credo, et aetatis maturitate ad prudentiam et iis temporum vitiis, ut nulla res
5 alia levare animum molestiis possit. A quo studio te abduci negotiis intellego ex tuis litteris, sed tamen aliquid iam noctes te adiuvabunt.

Servius tuus vel potius noster summa me observantia colit; cuius ego cum omni probitate summaque virtute tum studiis doctrinaque delector. Is mecum saepe de tua mansione aut decessione communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Caesar velle videatur. Res sunt eius modi, ut, si Romae sis, nihil praeter tuos delectare possit. De reliquis nihil melius ipso est Caesare, cetera sunt eius modi, ut, si alterum utrum necesse sit, audire ea malis quam videre. Hoc nostrum consilium nobis minime iucundum est, qui te videre cupimus, sed consulimus tibi. Vale.

5. (ad fam. V 7)

Scr. Romae m. April. a. 692 (62)

M. TULLIUS M. F. CICERO S. D. GN. POMPEIO

GN. F. MAGNO IMPERATORI

1 S. T. E. Q. V. B. E. Ex litteris tuis, quas publice misisti, cepi una cum omnibus incredibilem voluptatem; tantam enim spem otii ostendisti, quantam ego semper omnibus te uno fretus pollicebar. Sed hoc scito, tuos veteres hostes, novos amicos vehementer litteris percussos atque ex magna spe deturbatos iacere. Ad me autem litteras quas misisti, quamquam

exiguam significationem tuae erga me voluntatis habebant, tamen mihi scito iucundas fuisse; nulla enim re tam laetari soleo quam meorum officiorum conscientia; quibus si quando non mutue respondetur, apud me plus officii residere facillime patior. Illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia parum mihi adiunxerint, res publica nos inter nos conciliatura coniuncturaque sit. Ac ne ignores, quid ego in tuis litteris desiderarim, scribam aperte, sicut et mea natura et nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquam in tuis litteris et nostrae necessitudinis et rei publicae causa gratulationem expectavi; quam ego abs te praetermissam esse arbitror, quod vererere, ne cuius animum offenderes. Sed scito ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio ac testimonio comprobari; quae, cum veneris, tanto consilio tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo maiori, quam Africanus fuit, me non multo minorem quam Laelium, facile et in re publica et in amicitia adiunctum esse patiare.

6. (ad fam. XIV 2)

Scr. Thessalonicae a. d. III Non. Oct. a. 696 (58)

TULLIUS S. D. TERENTIAE SUAE ET TULLIOLAE
ET CICERONI SUIS

Noli putare me ad quemquam longiores epistulas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere; nec enim habeo, quit scribam, nec hoc tempore quicquam difficilium facio; ad te vero et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrimis scribere; vos enim video esse miserimas, quas ego beatissimas semper esse volui, idque prae-

- stare debui et, nisi tam timidi fuissemus, praestitissem. Piso
 2 nem merito eius amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras
 cohortatus sum gratiasque egi, ut debui. In novis tribunis ple-
 beii intellego spem te habere. Id erit firmum, si Pompei volun-
 tas erit; sed Crassum tamen metuo. A te quidem omnia fieri
 fortissime et amantissime video nec miror, sed maereo casum
 eius modi, ut tantis tuis miseriis meae miseriae subleventur.
 Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego
 maximo cum fletu legi, quem ad modum a Vestae ad tabulam
 Valeriam ducta esses. Hem, mea lux, meum desiderium, unde
 omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari,
 sic iacere in lacrimis at sordibus! idque fieri mea culpa, qui
 ceteros servavi, ut nos periremus.
- 3 Quod de domo scribis, hoc est de area, ego vero tum deni-
 que mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta. Ve-
 rum haec non sunt in nostra manu; illud doleo, quae inpensa
 facienda est, in eius partem te miseram et despoliatam venire.
 Quodsi conficitur negotium, omnia consequemur; sin eadem
 nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas, misera! proicies?
 Obsecro te, mea vita, quod ad sumptum attinet, sine alios,
 qui possunt, si modo volunt, sustinere et valetudinem istam
 infirmam, si me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos
 dies noctesque versaris; omnes labores te excipere video; timeo
 ut sustineas. Sed video in te esse omnia. Quare, ut id, quod
 4 speras et quod agis, consequamur, servi valetudini. Ego, ad
 quos scribam, nescio, nisi ad eos, qui ad me scribunt, aut ad
 eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis Longius, quoniam
 ita vobis placet, non discedam; sed velim quam saepissime
 litteras mittatis, praesertim si quid et firmius, quod spere-
 mus. Valete, mea desideria, valete. D. a. d. III Non. Oct.
 Thessalonica.

7. (ad Att. III 7)

Scr. Brundisii pridie Calendas Maias a. 696 (58)

CICERO ATTICO SAL

Brundisium veni a. d. XIII Cal. Maias; eo die pueri tui 1
 mihi a te litteras reddiderunt, et alii pueri post diem tertium
 eius dici alias litteras attulerunt. Quod me rogas et hortaris,
 ut apud te in Epiro sim, voluntas tua mihi valde grata est
 et minime nova; esset consilium mihi quidem optatum, si li-
 ceret ibi omne tempus consumere — odi enim celebritatem,
 fugio homines, lucem aspicere vix possum --: esset mihi ista
 solitudo, praesertim tam familiari in loco, non amara; sed,
 itineris causa ut deverterer, primum est devium, deinde ab
 Autronio et ceteris quadridui, deinde sine te: nam castellum
 munitum habitanti mihi prodesset, transeunti non est neces-
 sarium. Quod si auderem, Athenas peterem — sane ita cade-
 bat, ut vellem —; nunc et nostri hostes ibi sunt et te non
 habemus et veremur, ne interpretentur illud quoque oppidum
 ab Italia non satis abesse, nec scribis, quam ad diem te ex-
 spectemus. Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me 2
 manus absteineam, alterum non potes, ut me non nostri con-
 silli vitaeque paeniteat; quid enim est, quod ne retineat,
 praesertim si spes ea non est, quae nos proficiscentes prose-
 quebatur? non faciam, ut enumerem misérias omnes, in quas
 incidi per summam iniuriam et scelus non tam inimicorum
 meorum quam invidorum, ne et meum maerorem exagitem et
 te in eundem luctum vocem: hoc affirmo, neminem umquam
 tanta calamitate esse effectum, nemini mortem magis optan-
 dam fuisse, cuius oppetendae tempus honestissimum praeter-
 missum est, reliqua tempora sunt non tam ad medicinam
 quam ad finem doloris De re publica video te colligere omnia, 3
 quae putes aliquam spem mihi posse affere mutandarum
 rerum; quae, quamquam exigua sunt, tamen quoniam pla-
 cet, exspectemus. Tu nihilo minus, si properaris, nos conse-

quere; nam aut accedemus in Epirum aut tarde per Candaviam ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconstantia nostra adferebat, sed quod de fratre, ubi eum visuri essemus, nesciebamus; quem quidem ego nec *quo* modo visurus nec ut dimissurus sim, scio; id est maximum et miserrimum meorum omnium miseriarum. Ego et saepius ad te et plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset: videre te cupio. Cura, ut valeas. Data pr. Cal. Maias Brundisi.

8. (ad Att. V 15)

Scr. Laodiceae III Nonas Sextiles a. 703 (51)

CICERO ATTICO SAL

- 1 Laodiceam veni pridie Cal. Sextiles; ex hoc die clavum anni novebis. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius; sed est incredibile, quam me negotii taedeat; non habeat satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi et industriae meae, praeclara opera cesset! quippe, ius Laodiceae me dicere, cum Romae A Plotius dicat, et, cum exercitum noster amicus habeat tantum, me nomen habere duarum legionum exilium! Denique haec non desidero, lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. Sed feram, ut potero, sit modo annum, si prorogatur, actum est; verum perfacile resisti potest, tu
- 2 modo Romae sis. Quaeris, quid hic agam. Ita vivam, ut maximos sumptus facio. Mirifice delector hoc instituto: admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis, ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit. Appii vulnera non refrico, sed apparent nec oculi possunt. Iter
- 3 Laodicea faciebam a. d. III Non. Sextiles, cum has litteras dabam, in castra in Lycaoniam; inde ad Taurum cogitabam, ut cum Moeragene signis collatis, si possem, de servo tuo desiderem. *Clitellae bovi sunt impositae; plane non est nostrum*

onus : et feremus, modo sit annum : si me amas, si te a me amari vis, adsis tu ad tempus, ut senatum totum excites. Mirifice sollicitus sum, quod iamdiu ignota sunt mihi ista omnia ; quare, ut ad te ante scripsi, cum cetera, tum res publica cura ut mihi nota sit. Plura scribam, cum constitero ; haec sciebam tarde tibi redditum iri, sed dabam familiari homini ac domestico, C. Andronico Puteolano : Tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium.

9. (ad Att. VI 9)

Scr. Athenis Idibus Octobribus a. 704 (50)

CICERO ATTICO SAL

In Piraea cum exissem pridie Idus Octobr., accepi ab 1
Acasto, servo meo, statim tuas litteras, quas quidem cum exspectassem iamdiu, admiratus sum, ut vidi obsignatam epistulam, brevitatem eius, ut aperui rursus σύγχροιν litterularum, quae solent tuae compositissimae et clarissimae esse, ac, ne multa, cognovi ex eo, quod ita scripseras, te Romam venisse a. d. XII Cal. Oct. cum febr. Percussus vehementer nec magis quam debui, statim quaero ex Acasto : ille et tibi et sibi visum et ita se domi ex tuis audisse, ut nihil esset incommode. Id videbatur adprobare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse ; sed deamavi tamen admiratusque sum, quod nihilo minus ad me tua manu scripsisses. Quare de hoc satis ; spero enim, quae tua prudentia et temperantia est, *et* hercule, ut me iubet Acastus, confido de iam, ut volumus, valere. A. Tarranio te accepisse meas litteras 2
gaudeo. Παραφύλαξον, si me amas, τὴν τοῦ φουρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτότατα. Hanc, quae mehercule mihi magno dolori est (dilexi enim hominem) procura, quantulacumque est, Precianam here-

ditatem prorsus ille ne attingat; dices nummos mihi opus esse ad apparatus triumphi, in quo, ut praecipis, nec me κενὸν in expetendo cognosces, nec ἄτυφον in abiciendo. Intellexi ex tuis litteris te ex Turrano audisse a me provinciam fratri traditam.

- 3 Adeo ego non perspexeram prudentiam litterarum tuarum? Ἐπέχειν te scribebas; quid erat dubitatione dignum, si esset quidquam, cur placeret fratrem, et talem fratrem relinqui? Ἀθέρησις ista mihi tua, non ἐποχὴ videbatur. Monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem. Τοῦμὸν ὄνειρον ἐμοί. Eadem omnia, quasi collocuti essemus, vidimus; non fuit faciendum aliter meque ἐπιχρονία ἐποχὴ tua dubitatione liberavit. Sed puto te accepisse de hac re epistolam scriptam accuratius. Ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto ante venturos quam nostrum Saufeium; sed eum sine meis litteris ad te venire vix rectum erat. Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribes, de re publica, quam praevideo in summis periculis, de censoribus, maximeque de signis, tabulis quid fiat, referaturne. Idibus Octobribus has dedi litteras, quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones quattuor. Quaeso, quid nobis futurum est? In arce Athenis statio mea nunc placet.

10. (ad Att. VII 9)

Scr. in Formiano exeunte mense Decembri

(post VI Cal. Jan.) a. 704 (50)

CICERO ATTICO SAL

- 1 «Cotidiene», inquis, «a te accipiendae litterae sunt?» Si habeo, cui dem, cotidie. «At iam ipse ades». Tum igitur, cum venero, desinam. Unas video mihi a te non esse redditas, quas L. Quinctius, familiaris meus, cum ferret, ad bustum
- 2 Basili vulneratus et despoliatus est. Videbis igitur, num quidi

fuerit in iis, quod me scire opus sit, et simul hoc διευκρινήσεις πρόβλημα sane πολιτικόν; cum sit necesse aut haberi Caesaris rationem illo exercitum vel per senatum vel per tribunos pl. obtinente aut persuaderi Caesari, ut tradat provinciam atque exercitum et ita consul fiat, aut, si id ei non persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione illo patiente atque obtinente provinciam, aut, si per tribunos pl. non patiatur *et* tamen quiescat, rem adduci ad interregnum, aut, si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere, illum autem initium facere armorum aut statim nobis minus paratis aut tum, cum comitiis amicis eius postulantibus, ut e lege ratio habeatur, impetratum non sit, ire autem ad arma aut hanc unam ob causam quod ratio non habeatur, aut addita causa, si forte tribunus pl. senatum impediens aut populum incitans notatus aut senatus consulto circumscriptus aut sublatus aut expulsus sit dicensve se expulsus ad illum confugerit, suscepto autem bello aut tenenda sit urbs aut ea relicta ille commeatu et reliquis copiis intercludendus — quod horum malorum, quorum aliquod certe subeundum est, minimum putes. Dices profecto persuaderi 3 illi, ut tradat exercitum et ita consul fiat. Est omnino id eius modi, ut, si ille eo descendat, contra dici nihil possit, idque eum, si non obtinet, ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror; nobis autem, ut quidam putant, nihil est timendum magis quam ille consul. «At sic malo», inquires, «quam cum exercitu». Certe; sed istud ipsum *sic malo* magnum malum putat aliquis, neque ei remedium est ullum. «Cedendum est, si id volet». Vide consulem illum iterum, quem vidisti consulatu priore. «At tum imbecillus plus», inquis, «valuit quam tota res publica». Quid nunc putas? et eo consule Pompeio certum est esse in Hispania. O rem miseram! si quidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest et quod ille si faciat, iamiam a bonis omnibus summam ineat gratiam. Tollamus igitur, hoc, quo illum posse 4 adduci negant; de reliquis quid est deterrimum? concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissime postulat. Nam quid

impudentius? tenuisti provinciam per annos decem non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et per factionem datos; praeferiit tempus non legis, sed libidinis tuae, fac tamen legis: ut succedatut, decernitur; impedis et ais: «Habe meam rationem». Habe tu nostram: exercitum tu habeas diutius, quam populus iussit, invito senatu? «Depugnes oportet, nisi concedis». Cum bona quidem spe, ut ait idem vel vincendi vel in libertate moriendi. Iam, si pugnandum est, quo tempore, in casu, quo consilio, in temporibus situm est. Itaque te in ea quaestione non exerceo; ad ea, quae dixi, adfer, si quid habes. Equidem dies noctesque torqueor.

11. (ad Att. XIII 52)

Scr. in Puteolano a. d. XII Calendas

Januarias a. 709 (45)

CICERO ATTICO SAL.

- 1 O hospitem mihi tam gravem ἀμεταμέλητον! fuit enim per iucunde. Sed, cum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa a militibus est, ut vix triclinium, ubi cenaturus ipse Caesar esset, vacaret, quippe hominum ΚΙΟΚΙΟ. Sane sum commotus, quid futurum esset postridie; at mihi Barba Cassius subvenit, custodes dedit; castra in agro, villa defensa est. Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad. h. VII, nec quemquam admisit: retentiones, opinor, cum Balbo. Inde ambulavit in litore; post h. VIII in balneum. Tam audivit de Mamurra; vultum non mutavit. Unctus est, accubuit. Ἐμετικὴν agebat; itaque et edit et bibit ἀδεῶς et iucunde; opipare sane et apparate, nec id solum, sed
bene cocto et
condido, sermone bono et, si quaeris libenter.

Praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose : 2
 libertis minus lautis servisque nihil defuit, nam lautiores
 eleganter accepti : quid multa? homines visi sumus. Hospes
 tamen non is, quoi diceres : «amabo te, eodem ad me, cum
 revertere» semel satis est. Σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλό-
 λογα multa. Quid quaeris? delectatus est et libenter fuit. Pu-
 teolis se aiebat unum diem fore, alterum ad Baías. Habes
 hospitium sive ἐπισταθμείαν, odiosam mihi, dixi, non molestam.
 Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae villam
 cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad
 equum nec usquam alibi : hoc ex Nicia.

12. (ad Att. XIV 10)

Scr. in Puteolano a. d. XIII Calendas Maias a. 710 (44)

CICERO ATTICO SAL

Itane vero? hoc meus et tuus Brutus egit, ut Lanuvii es- 1
 set, ut Trebonius itineribus deviiis proficisceretur in provin-
 ciam, ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Caes-
 aris plus valerent, quam si ipse viveret? Meministine *me*
 clamare illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium
 a praetoribus vocari? di immortales! quae tum opera effici
 potuerunt, laetantibus omnibus, bonis, etiam sat bonis, fractis
 latronibus! Liberalia tu accusas. Quid fieri tum potuit?
 iam pridem perieramus. Meministine te clamare causam perisse,
 si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus lau-
 datusque miserabiliter servique et egentes in tecta nostra cum
 facibus inmissi. Quae deinde? ut audeant dicere : «Tunc
 contra Caesaris nutum?» Haec et alia ferre non possum ;
 itaque γῆν πρὸ γῆς cogito ; tua tamen ὑπηνέμοσ. Naus ea iamne 2
 plane abiit? mihi quidem ex tuis litteris coniectanti ita vide-
 batur. Redeo ad Tebassos, Scaevas, Frangones : hos tu existi-
 mas confidere se illa habituros stantibus nobis? in quibus
 plus virtutis putarunt, quam experti sunt? Pacis isti scilicet
 amatores et non latrocinii auctores. At ego, cum tibi de Cur-

Θ. Κακριδῆ, Κικέρωνος Ἐπιστολαί. Ἐκδ. Β'. 1933

2

tilio scripsi Sextilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Mes-
 3 salla, de Planco, de Postumo, de genere toto. Melius fuit nobis
 videre. Octavius Neapolim venit XIII Cal. Ibi eum Balbus
 mane postridie, eodemque die mecum in Cumano, illum heredi-
 tatem aditurum. Sed, ut scribis, $\delta\iota\epsilon\delta\theta\epsilon\mu\nu$ magnam cum Anto-
 4 nio. Buthrotia mihi tua res est, ut debet, eritque curae. Quod
 quaeris, iamne ad centena Cluvianum, adventare videtur : scili-
 cet primo anno LXXX detersimus. Quintus pater ad me gravia
 de filio, maxime quod matri nunc indulgeat, cui antea bene me-
 renti fuerit inimicus : ardentem in eum litteras ad me misit. Ille
 autem quid agat, si scis nequedum Roma es profectus, scribas
 ad me velim et hercule, si quid aliud : vehementer delector tuis
 litteris.

13. (ad Att. XVI 4)

Scr. in Puteolano a. d. VI Idus Quinctiles a. 710 (44)

CICERO ATTICO SAL

1 Ita, ut heri tibi narraui vel fortasse hodie (Quintus enim
 altero die se aiebat) in Nesida VIII Idus. Ibi Brutus. Quam
 ille doluit de NONIS IULIIS ! mirifice est cōturbatus. Itaque
 sese scripturum aiebat, ut venationem eam, quae postridie lu-
 dos Apollinares, futura est, proscriberent *in III IDUS QUIN-*
CTILES. Libo intervenit. Is Philonem. Pompei libertum, et
 Hilarum, suum libertum, venisse a Sexto: cum litteris ad
 consules sive quo alio nomine sunt. Earum exemplum nobis
 legit, si quid videretur. Pauca $\mu\alpha\rho\acute{\alpha}$ λέξιιν, ceteroqui et satis
 graviter et non contumaciter. Tantum addi placuit, quod erat
 COSS. solum, ut esset PRAETT. TRIBB. PL. SENATVI, ne
 2 illi non proferrent eas, quae ad ipsos missae essent. Sextum
 autem nuntiant cum una solum legione fuisse Karthagine,
 eique eo ipso die, quo oppidum Baream cepisset, nuntiatum
 esse de Caesare, capto oppido miram laetitiam commulatio-
 nemque, animorum concursumque undique; sed illum ad sex
 legiones, quas in ulteriore reliquisset, revertisse. Ad ipsum

autem Libonem scripsit nihil esse, nisi ad larem suum liceret. Summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Haec fere de Sexto. De Buthrotiis undique quae- 3
rens nihil reperiebam. Alii concisos agripetas, alii Plancum acceptis nummis relictis illis aufugisse. Itaque non video sci- 4
turum me, quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum videtur. Legiones enim adventare dicuntur. Haec autem navigatio habet quasdam suspiciones periculi. Itaque constituebam uti ὁμο-
πλοία. Parationem enim offendi Brutum, quam audiebam: nam et ipse et Domitius bona plane habet dicota suntque navigia praeterea luculenta Sesti, Buciliani, ceterorum; nam Cassi classem, quae plane bella est, non numero ultra fretum. Illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare videtur. Primum confectorum ludorum nuntios exspectat; deinde, quantum intellego, tarde est navigaturus consistens in locis pluribus. Tamen arbitror esse commodius tarde navigare quam omnino non navigare; et, si, cum processerimus, exploratiora videbuntur, etesiis utemur.

